Rückert, Carolus Henricus

De commercio regum francorum

DE
COMMERCIO REGUM FRANCORUM
CUM IMPERATORIBUS ORIENTIS USQUE AD MORTEM JUSTINIANI
(565 P. CHR. N.)

DISSERTATIO
QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENTIENTE
ILLUSTRI PHILOSOPHORUM ORDINE
PRO
VENIA DOCENDI
ADIPISCENDA
D. III. M. MAJI MDCCCXLV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
CAROLUS HENRICUS RÜCKERT
DOCTOR PHILOSOPHIAE MAGISTER LIBERALIUM ARTIUM.

JENAE
TYPIS FRIDERICI FROMMANN.

INTRODUCTIO.

Si quis eximia instructus doctrina et haud vulgari acumine et subtilitate ingenii praeditus vir totam saeculi Carolorum historiam, quae usque ad hunc diem turpiter corrupta et incondita jacet, emendare et componere velit, summum operae pretium erit.

Antequam tamen tale quid prodierit, quod vehementer ab omnibus desideratur, iis, qui ad totum opus perficiendum neque vires neque otium suppeditare probe intelligant, singula rerum istarum momenta gravissima singulis commentationibus illustrare libenter concessum erit. Sic et ipsi nos, quibus semper ad accuratiorem saeculi illius pervestigationem instituendam inclinaverit animus, nunc rei nostra quidem sententia gravissimae operam intendimus, scilicet ut qualis rerum conditio inter Principes Carolae stirpis et Imperatores Romanos Orientis intercesserit, expediamus.

Summi autem momenti hoc non solum ad illius aetatis sed etiam totius medii aevi historiam perspiciendam et intelligendam esse, ubi paucis lineis, de quibus et quantis rebus tunc actum sit, adumbraverimus, facile apparebit. Actum est enim de principatu inter omnes orbis terrarum populos, quem Pontifices Maximi urbis Romae de Imperatoribus Orientis ad Reges Francorum Carolorum gente prognatos transtulerant.

Incipiente enim saeculo p. Chr. n. VIII° Episcopi, qui tunc sedem apostolicam tenebant, quum jamdudum nutu et arbitrio Imperatoris servorum more regi poeniteret ipsos, qui ab

obtinendo et firmando totius Ecclesiae Catholicae per terras saltem Occidentis primatu summo labore parato abdicare nollent, usi sunt praetextu satis conspicuo, contentione de imaginibus colendis inter Orientales orta, sed frangendam et tollendam Imperatoris vim et potentiam tam in publicis quam in sacris Italiae praesertim Romae ipsius rebus. Sed quum temporibus pressi alium quem tutorem loco Graecorum, qui non tutores sed domini fuerant, anxie circumspicerent, primum ad Langobardos, acerrimos Graecorum hostes versi, mox Francorum auxilium implorandum esse censuerunt.

Neque tamen a regibus, quos invalidos insuper etiam antiquitus quodam amicitiae et pietatis foedere conjunctos cum Imperatoribus scirent, sed nobilissima et praestantissima gente illa, cujus homines tunc nomine Majorum Domus re vera regia auctoritate ornati jamdudum rerum potiti erant. Sic tacito quodam foedere icto Papa Romanus tam a Graecorum quam a Langobardorum insidiis, qui non minus aemulatione quam metu Francorum moti quoquo modo nocere studebant, defenditur, Carolorum genti Papae auctoritate regia dignitas dolo et vi affectata firmatur et sancitur.

Offensio autem Imperatorum, qui Episcopos Romanos rebelles et ditioni suae iterum subjiciendos putarent, dummodo res et tempora sinerent, paullo post admodum aucta est. Ut enim inconcussa maneret haec conjunctio cum Carolorum stirpe, primum Patricii Ecclesiae Romanae deinde Imperatoris nomen ad Francos detulerunt Papae. Quo accepto in perpetuum tempus aemuli et adversarii Imperatorum Orientis facti esse visi sunt. Etiamsi enim tunc temporis nihil nisi inane nomen dignitas Imperatoria sine ulla vi et virtute fuisset, Imperatores Orientis, qui anxia et paene ridicula cura, ne aliqua quamvis levissima re splendor et species nominis sui imminueretur, caverent, summae et augustissimae dignitatis participes nullo modo admissuri

fuissent. Sententia autem hominum illius saeculi inprimis ipsorum Imperatorum plane non ad inane nomen redacta videbatur dignitas illa.

Sed Graeco-Romanorum respublica domesticis et externis curis pressa et obruta, tantopere tum temporis jacebat, Francorum ingenio et fortuna Caroli Magni cui multo majori jure Maximi concedendum est cognomen, mirum in modum aucta et provecta, adeo vigebat, ut vi et armis se poenas a Papa rebelli et ab usurpatore Franco repetituros non esse probe intelligerent Imperatores.

Itaque taciti consensus specie rem, quae mutari non posset, ratam habere videbantur, quanquam re vera semper temporum magis idoneorum appetentes, distulerant solum finem contentionis, qua superari nollent.

Quae tamen lis nunquam dijudicata est. Et diviso Carolorum imperio, Graecorum in dies magis hostibus undique irruentibus pressum est, ut etiamtum denuo Imperatores a Papa creari sinere cogerentur. —

Si quis hanc rerum conditionem, quam hic paucis exponere conati sumus, recte consideraverit et perpenderit, largum explorandi, cernendi, concinnandi, artis ostentandae patere campum non negabit.

Cui tamen operi satis laborioso historiam commercii Regum Francorum, qui Merovei gente prognati erant, cum Imperatoribus Orientis praeire necessarium nobis visum est, multis de causis. Quo pacto enim et quo modo Francorum reges, quos dejecit gens Carolorum, societatis et amicitiae vinculo conjuncti fuerint cum Imperatore, accuratius pervestigari et ostendi, quam hactenus factum est, gravissimi momenti erit. Quam ob causam nunc ubi occasio data est aliquid publici juris facere hanc incepti nostri operis partem elegimus, quasi specimen totius daturi. Et quum totam hanc commentationem proponere minus

nobis visum sit, iterum priorem ejus portiunculam dedimus, qua agitur de initiis hujus commercii, deinde de foederibus et pactis Francorum cum Imperatore Justiniano, satis memorabilius. Ille enim summo cum studio et plerumque felicissimo eventu omnes barbarorum nationes, quae ruente Imperio occidentali amplissimas terras libere occupaverant, iterum suae ut justi Romanorum ideo orbis terrarum domini ditioni aut subjecerat aut subjicere conatus erat, Francis tamen ne meditatus quidem fuisse videtur vim inferre, sed semper, quanquam interdum satis larga querelarum data ei est materia, foederis et amicitiae speciem servare vel restituere quaesivit, et quum alibi satis iracundum se gessisset, apud Francos placidus semper et pacis amantissimus erat. Ad tantum enim gloriae et auctoritatis fastigium jam tunc temporis Francorum respublica inter omnes barbarorum nationes sola provecta erat, ut apud homines illius saeculi et apud Imperatorem ipsum solis Romanis cedere videretur. Testis est hujus rei Agathias, Francorum nomen summis et paene ridiculis laudibus extollens[1]), quae maximam partem multo melius vituperio flagitiorum justo mutari poterant. At Catholicae fidei acerrimi propugnatores erant, quum barbari reliqui tum omnes Arianae haeresi dediti essent. Unde haec omnia, ratione temporum et morum habita, optime explicari, neque ullo alio modo perspici possunt[2]).

Haec fere praefanda censuimus, nunc opusculum ipsum benevolo proponemus lectori.

---

1) Cf. Ag. I. 2. p. 16, 17. ed. Nieb.

2) Epistola Pelagii Papae paullo post Justiniani mortem scripta paucissimis verbis de hac saeculi illius sententia optime docemur: „Nec enim „credimus otiosum nec sine magna divinae providentiae admiratione dis- „positum quod vestri Reges Romano Imperatori in orthodoxae fidei con- „fessione sunt similes" etc. Ep. Pel. II. ad Aunahar. Episcop. Autissiodor. ap. B. IV. 82.

Reges Francorum praesertim Saliorum, qui ruente Imperio occidentali Galliarum magnam partem atrocissimis bellis occupaverant, non ignotos Imperatoribus Orientis fuisse, jam per se verisimile, multis auctorum aequalium locis, quae hic referre longum est, apparet. Quamdiu autem species adhuc et nomen Imperii Romani Occidentalis manebat, Imperatores Orientis gravissimis provinciarum quae ipsis obvenerant tuendarum curis districti, reliquas inprimis longinquiores prorsus omittebant. Itaque per haec tempora neque amicitiae neque inimicitiae vestigia inter Francos et Imperatores Orientis exstant.

Deleto tamen Imperio occidentali quum Occidentis quoque dominos se factos putarent, more solito etiam apud Francos hanc supremae dominationis speciem sibi arrogare studuerunt. Anno enim DX° Chlodoveum qui tam victoria Alamannica et Westrogothica, quam merae catholicae fidei confessione ad summum gloriae fastigium inter aequales Barbarorum reges ascenderat, Anastasius Imperator missis codicillis et splendidissimis muneribus Patricio honore ornavit[1]). Quem Chlodoveus, rerum

---

1) Utrum Consulis an Patricii dignitate insignitus sit Chlodov. valde disputatur. Gregorii Turon. enim verba, solius istarum rerum auctoris valde ambigua sunt „*tanquam* Consul et Augustus vocatus est ab illo die“ (hist. eccles. loco infra allegando). Sed quum caput illud ipsum Gregorii antiquitus „de Patriciatu Chlodovei“ inscriptum sit, quum Chlodovei nomen in fastis Aviti Episcopi alias accuratissimis omnino non reperiatur, tandem quum utraque dignitas, quae jamdudum ad inane nomen redacta

et temporum gnarus, summa cum laetitia accepit teste Gregorio[1]). Etiamsi enim ipse dominationem, quam armis et dolo paraverat et auxerat, vel invito Imperatore firmam fore speraret, tamen quantum hoc adstabiliendam et promovendam regni Francorum apud exteros auctoritatem, inprimis autem ad conciliandos Provincialium animos faceret, bene intellexit.

Sic concedente et probante justo totius orbis terrarum domino jure possidere, quae vi occupata erant, videbatur; neque aliud quid nisi interdum blandis et officiosis literis, per quas Imperator salutaretur, opus erat, quarum Chlodoveum, ut erat homo validissimus et versatissimus, in tempore et in loco adhibendarum minime poenituit[2]). Sed nullo alio nisi hoc lega-

erat, saepius apud aequales Greg. confundatur, Patricium non Consulem appellatum esse diximus Chlodoveum. (Conferas quoque hoc de argumento *Gibbon*, history of the fall etc. C. 38. Nota 1. Pagii Criticam, T. II. p. 474. 92. Had. Valesii Rer. Franc. T. I. p. 299—301.)

1) Greg. Turon. hist. eccles. II, 38. „In Basilica beat. Martini tunica „blatea indutus est et chlamyde imponens vertici diadema. Tunc ascenso „equo aurum argentumque — spargens manu propria" etc.

2) Quam officiosa immo humili mente erga Imperatorem imbutos se simulaverint reges Barbarorum, ex epistolis Sigismundi Burgundionum regis circa hoc idem tempus scriptis conjicere licet. Animadvertas talia quaeso: „Si devotionem nostram, qua vobis animo militamus, etiam cor„poraliter praesentare obex temporum regionumque — non patitur, quod „tamen habemus in votis exerere tentamus officiis." — „Ornat quippe „imperii vestri amplitudinem, longinquiter subjectorum numerus — et quod „remotius possidemur." Cf. Ep. I. Sigism. Reg. B. ap. Bouq. Recueil etc. T. IV. 55. 56. Posteriori priorem epistolam superaturus haec scripsit: „Ve„ster quidem est populus meus, sed me plus servire vobis quam illi prae„esse delectat. — Cumque gentem nostram videamus regere, non aliud „nos quam milites vestros credimus ordinari. Per nos administratis re„motarum spatia regionum patria nostra vester orbis est. — Praestolor ora„culum sermonis Augusti; ambio si quid jubere dignemini" etc. Cf. Ep. II. Sig. R. B. ap. B. R. T. IV. p. 56.

Quis regem populi magni et validi talia sine pudore proferre ausum

tionum interdum mittendarum vinculo satis laxo conjunctus erat Chlodoveus Rex cum Imperatoribus Orientis. Neque, quum jam anno DXI° diem supremum obiret, plus duarum ad summum trium expediendarum occasio ei data erat.

Mortuo tamen Chlodoveo commercium hoc, quod nuperrime natum erat, per plures annos prorsus interruptum fuisse videtur, ut Constantinopoli vix aliud quidquam de rebus Francorum nisi quod fama tulerat, scirent.

Sed ubi primum Justinianus I. ad Imperatoriam accesserat dignitatem, quum Italiam Gothorum ditioni erepturus undique socios circumspiceret, per legatos pristina illa conjunctio restituta, mox quoniam tunc de causis gravioribus quam prius agebatur, arctior facta est. Jam primis enim Imperii annis fortasse DXXIX vel DXXX° ad Theodoricum Regem Austrasiae, natu maximum inter fratres quatuor, filios Chlodovei, et apud exteros saltem populos speciem principatus gerentem, insuper etiam quia orientales Regni Francorum partes tenebat, finitimum Gothis et Italiae, literas gratulatorias ob acceptam regiam dignitatem misit, quibus ultro Imperator Barbari amicitiam sibi conciliare studuit, sed ita ut provide et callide quem ad finem hoc fieret, omnino adhuc silentio praetermitteret. Scire tantum cupere se, quae esset rerum Francicarum conditio, inprimis quae et quantae nationes recentissimis temporibus Chlodovei regno adjectae; postremum valde adhortari Regem Theodoricum non

---

fuisse, credat? Sed ejusmodi adulationes, quantumvis vanas, Constantinopoli aequis accipi auribus et vehementer ab Imperatoribus concupisci, neque ullum dignitati regiae detrimentum hisce afferri non ignoravit Sigismundus. Et quanquam Sigismundum metu imminentium Francorum Imperatoris benevolentiam quae sibi aliquando auxilio et refugio esse posset, prae aliis ambire necesse erat, tamen etiam Chlodoveus hanc ipsam ob causam, ne majori officiositate amicitiam Imperatoris praeciperent Burgundionum vel aliarum gentium reges hanc devotionis et humilitatis colorem in epistolis saltem servare cogebatur.

omisit, ut gloriam merae catholicae fidei, splendidissimam patris Chlodovei, illustrissimi S[tae] Ecclesiae propugnatoris hereditatem filiis relictam servaret et quantum valeret, etiam augeret. Quid hoc sibi vellet Theodoricum non fugit: Arianos, inter quos Gothi potentissimi et proximi erant, eadem vi et pertinacia qua pater contereret et profligaret[1]).

Interim bello Vandalico prospere finito Justinianus Gothos ipsos adortus erat. Rapido cursu Belisarius, Sicilia occupata,

1) Justinianearum literarum sententiam quum ipsae deperditae sint, facile ex iis cognoscas, quae Imperatori respondit Theodoricus, collatis Justiniani I. epistolis ad duces Francorum ap. Procop. exstantibus, de quibus infra. „Theodorus vir spectabilis — veniens pariter literas, quas Im„perii vestri clementia destinavit, integra animi caritate et devotione sus„cepimus, quia cum de nobis curam geritis, sic latius per diversas gen„tes atque provincias Dei amatam amicitiam propagamus. Id vero quod „dignamini esse solliciti, in quibus Provinciis habitemus aut quae gentes „nostrae sint, Deo adjutore, ditioni subjectae, Dei nostri misericordia fe„liciter subactis Thuringis et eorum Provinciis acquisitis“ etc. (Geographicas quaestiones hic prorsus omittendas duximus. Cf. explication. hujus epistolae geographic. ap. Zeuss. „*Die Deutschen und ihre Nachbarstämme*“ p. 357, magis inceptam quam perfectam. — Occasione data alio loco hac de re disserendum erit.) — „usque in Oceani litoribus — dominatio nostra „porrigitur. Et quia scimus, Celsitudinem vestram de profectu Catholico„rum sicut etiam literae vestrae testantur, plena animi jucunditate gau„dere, ideo est quod secundum voluntatem vestram quae Deus nobis con„cesserit, simplici relatione mandamus; desiderantibus animis exoptantes „ut felicibus profectibus gloria vestra ita valeat, ut antiquam retroacto„rum Principum amicitiam conservetis et gratia — in communi utilitate jun„gamur.“ Haec epistola (ap. Bouquet Recueil d. h. etc. IV, 50.) prima trium, quae per tempora Justiniani Constantinopolim missae adhuc exstant, vulgo Theodeberto, filio Theoderici, assignatur nostra quidem sententia ineptissime. Nam ut omnia alia mittamus, quae huc pertinent, Theodebertus inter nationes Francorum ditioni nuper subditas Burgundiones omitteret, quos ipse primis regni mensibus (anno p. Ch. DXXXIV. rex factus erat) una cum Childeberto et Chlothario patruis debellaverat?

postquam in Italia inferiori Gothorum vires valde attriverat, Romam ipsam castra movit. Tunc tempus esse visum Imperatori, Italiam quoque superiorem, qua etiam vis et robur regni Gothici nitebatur, infestare, quam ob causam jam prius Francorum amicitia et societas petita erat.

Iterum legati missi sunt, tunc autem non ad solum Austrasiae regem, Theodebertum, qui paullo ante Theodorico patri successerat, sed etiam ad reliquos Francorum reges, Chlotharii filios. Instigabantur tam pretiosissimis, quae secum tulerant legati, muneribus, quam iis, quae polliciti sunt[1]). Quanquam nummos cardinem rerum apud eos esse intellexit, iterum tamen ut gloriae majorum in tuenda et propaganda catholica fide partae, bene meminissent, adhortari non omisit. Quibus omnibus moti Francorum reges libenter foedus cum Imperatore contra Gothos pepigerunt[2]).

Sed eodem ferme tempore Theodatus, qui interfecta Amalasvintha, Theodorici Magni filia, Ostrogothis praeerat, multo majori pollicitatione Graecorum operam irritam reddere conabatur, nota Francorum aviditate et perfidia fretus, quae jam tum apud finitimos paene in proverbium abiisse videtur. Pactus enim est cum iis, partem Galliae meridionalem, quam Gothi adhuc tenuerant et centenaria XX. auri acciperent, si auxilium adversus imminentes Romanos praestituri essent. Quae stipulatio ipso DXXXVI. anno facta, nece Theodati rupta esse videbatur, praesertim quum Gothi ipsi terras istas mirum in mo-

1) Epistolam Justiniani Imp. ad Francor. reges (ἡγεμόνας. Proc.) scriptam vide ap. Procop. bell. Goth. I. 5. p. 27 ed. Bonn., quae quanquam vix genuina sed more Procopii composita et aucta, tamen optime, quid intimo pectore de Francis, quorum insatiabilem avaritiam bene notam habuit, senserit Imperator, ostendit.

2) Cf. Proc. verba l. c. Τοσαῦτα μὲν βασιλεὺς ἔγραψε καὶ χρήμασιν αὐτοὺς φιλοτιμησάμενος πλείονα δώσειν ἐπειδὰν ἐν τῷ ἔργῳ γένωναι ὡμολόγησεν. Οἱ δὲ αὐτῷ σὺν προθυμίᾳ πολλῇ ξυμμαχήσειν ὑπέσχοντο.

dum florentes et opulentas Francis, quorum amicitia semper ambigua esset, cedere nollent. Sed necessitate urgente etiam Vitiges, qui sequutus erat ignavum et imbellem Theodatum, undique pressus et circumventus infortunio, pacta servari satius duxit. Sic accepta Francorum fide aliquatenus saltem tutiorem se fore opinatus est Vitiges, quanquam expressis verbis, occultam tantum non apertam opem se laturos, propter foedera, quibus cum Imperatore juncti essent, constituerant [1]).

Sic in optimae Galliarum partis possessionem addita ultro ingenti pecuniae vi Francis nulla data opera irrepere contigit. Primo autem Romani Gothorum arte decepti esse videbantur, donec Gothi ipsi idem sibi accidisse sentirent. Per proximos enim belli annos incerto adhuc exitu quieti sedebant Franci ut prorsus Italicarum rerem incuriosi. Sed anno DXXXVIII. quo Romani, Belisario duce, post sublatam urbis obsidionem ubique victores exstiterant, tum demum Gothis promissa et iterum atque iterum postulata auxilia mittere statuerunt Franci. Misit ergo Theodebertus, quippe qui inter omnes Francorum reges bellicosissimis et validissimis, finitimis quoque Italiae gentibus dominaretur, hoc ipso anno XXXVIII. postquam Romani Mediolanum, urbem hoc aevo totius fere Italiae facile principem, occupaverant, X millia hominum maximam partem Burgundionum natione prognatorum admixtis sine dubio Alamannis et aliis

---

1) Cf. Procop. I. 13. (ed. B. p. 71, 72, 73.) Φράγγων δὲ τότε ἡγεμόνες ἦσαν Ἰλδέβερτός τε καὶ Θεοδέβερτος καὶ Κλοαδάριος, οἱ Γαλλίας τε καὶ τὰ χρήματα λαβόντες διενείμαντο μὲν κατὰ λόγον τῆς ἑκάστου ἀρχῆς, φίλους δὲ Γότθοις ὡμολόγησαν εἰς τὰ μάλιστα ἔσεσθαι καὶ λάθρα αὐτοῖς ἐπικούρους πέμψειν οὐ Φράγγους μέντοι ἀλλ' ἐκ τῶν ὑπὸ σφίσι κατηκόων ἐθνῶν (quo melius servatae Justiniano fidei speciem praetendere valerent). Ὁμαιχμίαν γὰρ αὐτῷ ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς ἐπὶ τῷ Ῥωμάιων κακῷ ποιήσασθαι οὐχ οἷοί τε ἦσαν, ἐπεὶ ὀλίγῳ πρότερον βασιλεῖ ἐς τόνδε τὸν πόλεμον ξυλλήψασθαι ὡμολόγησαν.

ipsius Germaniae incolis[1]). Qui protinus, specie contra Theodeberti et reliquorum regum jussa et voluntatem sua sponte venientes, Mediolanum circumsedere inceperunt, Gothorum vires hanc ipsam ob causam ibidem collocatas adjuvantes. Quorum inprimis ope florentissima urbs expugnata saevissimo excidio deleta est, unde summi terroris pleni erant Romanorum animi[2]), sed etiam apud Gothos mox multis de causis suspicio quaedam satis justa orta est[3]). Ubi autem Gothorum regem arctissima obsidione a Belisario, qui quoquo modo finem operi imponere studeret, urgeri viderent, ita ut utraque pars omnibus paene viribus destituta esset, tunc multo major Francorum exercitus ipso Theodeberto duce Italiam superiorem ingressus est. Non Barbarorum sed bestiarum more saevientes neque Gothis neque Romanis parcebant, quum in priori illa Burgundionum expeditione speciem saltem amicitiae et societatis cum Gothis initae nunquam prorsus deposuissent. Utrique parti aeque infesti Italiam occupaturi aequalibus hominibus visi sunt, quanquam re vera solum praedandi et rapiendi, non tenendi et occupandi cupiditate ducti sunt[4]). Si Procopio credere licet, X *Μυριάδων* exercitus erat, ex Alamannis aliisque Germaniae nationibus, quarum plurimae christianae fidei adhuc impertes erant, compositus, unde qualis miserae et inermis Italiae conditio fuerit facile conjicias.

Pado fluvio, qui aliquamdiu eos moratus erat, trajecto, primum Gothos, qui per ripas custodias agebant, deinde Romanos, qui clausos castris vicinis se tenebant, adorti oppresserunt

---

1) De chronologica hujus expeditionis quaestione Procop. adeas, disertis verbis l. II. 13. p. 190. Mediolano a Romanis capto tertium belli annum desiisse dicentem. Procopius autem annos belli ab initio aestatis anni 536, quo primus finitur, computare solet.

2) Cf. Proc. II. 18. p. 219. 3) Cf. Pr. II. 22. p. 236.

4) Cf. Proc. II. 25. p. 247.

et fugaverunt. Sed fame et morbis tempore aestivo more solito in Barbarorum exercitu grassantibus graviter afflicti primum in rapido cursu substiterunt aliquamdiu, mox indies magis attriti atque penuria et tabe gliscente paene ad seditionem perducti, infinita praeda onusti domum reversi sunt. Quanquam Procopius Graeca vanitate, minus has ipsas ob causas quam literis a Belisario missis motum ab itinere deflexisse Theodebertum contendit [1]).

Vixdum in patriam reversus Theodebertus denuo per legatos cum Vitige rege communicavit de ope ferenda. Spectata enim terrae praestantia perpetuae et firmae possessionis orta ei esse videtur libido. Si divideret Italiam secum Vitiges, validum et velox se praestiturum auxilium promisit.

Vitiges tamen qui, diutissima et gravissima Ravennae, capitis regni Gothorum, quo se receperat, obsidione pressus, quum de sua et populi fortuna desperasset, saepius de pace vel potius de honesta traditione cum Belisario tractaverat jam per plures menses, per hos Francorum nuntios a proposito non destitit, praesertim quum Romani magna cum sollertia Francorum notam fallaciam, quam Gothi ipsi saepissime experti essent, regis ante oculos, atro sed justo colore usi, pingere non desinerent. Sic infecta re Francorum legati retrusi sunt.

Quum haec ita essent, Franci, quibuscum species foederis, quod tribus ante annis pepigerant, adhuc manebat, aperte hostes Imperatoris facti erant. Quam ob causam etiam Justinianus tumida jactatione et inani gloriositate more gentis valde gavisus, inter longam cognominum seriem Alamannici quoque recepit, ac si ipsius virtute Alamannorum exercitus repulsus esset. Quod tantopere teste Agathia Theodeberti iram excitavit, ut

1) Haece literae sine dubio authenticae neque aliarum in modum rhetorica arte ornatae et corruptae, quum ab ipso Procopio qui tum Belisario ab epistolis esset, conceptae et scriptae sint, leguntur l. II. 26. p. 253.

caeci furoris plenus ingentia et vix credibilia, agmen per terras Pannonicas Constantinopolim ipsam versus dirigendum, moliretur. Continuo autem ut erat alias homo cautus et bene rerum et temporum gnarus abjecisse videtur has nugas, quin etiam mox pretio satis conspicuo motus pristinae amicitiae speciem cum Imperatore restituere non dubitavit. Bello enim Gothico quod Romani dedita Ravenna et capto Constantinopolimque ducto Vitige rege jam prorsus exstinctum putarant, paullo post iterum et multo majori vi et ardore renascenti, Justinianus, qui rebus Orientalibus, Slavicis et domesticis undique agitatus nonnisi Francis sociis, saltem non impedientibus et quietem agentibus, res in Italia inceptae ad felicem eventum, a cujus spe nunquam destiturus esset, perduci posse intellexisset, magno praemio Francorum animos denuo sibi parare statuit. Tradidit igitur iis justam et legitimam possessionem terrarum, quas a regibus Gothorum Theodato et Vitige promissas vi et injuria occupasse visi sunt secundum hominum illius saeculi sententiam, una cum integris Imperatoris ipsius juribus et muneribus, ita ut soli omnium Barbarorum non vicarii Imperatoris more reliquorum, qui, etiamsi interdum Imperatorem ipsum, ut Theodoricus Ostrogothorum rex potentia et viribus longe superarent, semper tamen vices tantum ejus gerere videbantur, sed *αὐτοκράτορες* per has saltem provincia fierent et in ipsa aula Imperatoria haberentur[1]). Sed iterum ut priore tempore tunc quoque decepta est Justiniani spes. Aliquamdiu quidem magno exercitu duce Theodeberto Italiae fines transgressi, suppetias ire Romanis videbantur, sed ubi primum Romanorum necessitatem, quos tunc Totilas, strenuus ille et bellicosus Gothorum rex, valde

1) Cf. Procop. III. 33. 417. ubi nonnulla afferuntur, quae per se vix ullius momenti, tacita quadam Imperatoris reverentia a barbarorum regibus nusquam assumpta erant.

profligavit, viderant, Venetiae provinciae maximam partem sibi occupaverunt, Romanorum immemores.

Et ipse Totilas fere hoc eodem tempore diu cum Francis et identidem egit. Postulavit enim amicitiam et familiaritatem, filiam Theodeberti in matrimonium ducturus. Sed quanquam summo cum studio hoc tractaret, tamen frustra operam dedit. — Sic Francorum exercitus Romanis et Gothis non aliter ac prius aeque suspectus erat, et utraque pars inprimis metu horum cauti, qui ambigui socii mox data occasione periculosissimi hostes evasuri essent, exitum belli subito ictu arbitrio fortunae dare, valde et jure dubitaverunt. Franci autem interim subinde latius et longius effusi, usque ad annum DXLVIII. quo decessit Theodebertus in Gallia, quam, aliquantisper in Italia moratus, petiverat, paene totam Italiam superiorem usque ad Padi ripam occupaverunt innumera inde praeda absducta. Dominabantur per Liguriam, Alpes Cottias et Venetiam, paucis et munitissimis locis exceptis, quae aut Gothorum aut Romanorum praesidiis tenebantur. Ubique tributa exigebant, quovis modo exitium harum miserarum regionum recenti strage cumulabant[1]).

Comperta autem Theodeberti regis morte Justinianus epistolas querelarum et exprobrationum plenas ad Theodebaldum impuberem adhuc qui regnum Austrasiae susceperat misit, quibus laesam a patre saepius fidem, miseram Italiae devastationem, opem Gothis, qui haeretici essent, contra Catholicos praestitam, quae omnia negari non poterant, non sine quadam acerbitate ante oculos filii vel eorum qui illius nomine gubernacula regni tenebant, exposuit, valde adhortatus, repararet quam citissime et optime omnia haec, quibus Francorum nomen alias acerrimorum Ecclesiae et christianae fidei propugnatorum foedissima macula aspersum esset. Sed illi probris his, quae refutare non valuerunt, mirum in modum laesi et quum Imperatorem

1) Cf. Procop. III. 37. p. 437.

auxilii egentem et undique summis angustiis circumventum viderent, barbarorum more tumidi facti, arroganter immo rustice responderunt, ita ut rem ipsam prorsus intactam in medio relinquerent [1]).

1) Cf. Epistol. alteram ex tribus illis, quas supra memoravimus, ap. Bouq. IV. p. 58: „Salutantes igitur Serenitatem vestram debito, indica„mus munera vestra“ (quae illis saeculis semper epistolis per legatos missis adjici solebant) — „eo a nobis excepta animo, quo a vobis affectu „constat esse transmissa. Ideoque tam pro largitate muneris, quam pro „delectatione animi, quam indicastis vobis praestitam, pro eo quod nos „in solium genitoris nostri — superna potentia residere praecepit“ (vulgo „vos“ et „vestri“ sine sensu legitur) „inexsolubilem gratiarum actionem im„pendimus.“ — „Illud namque inter omnia valde animis nostris molestiam „generavit, quod tantum ac talem Principem ac diversarum gentium do„mitorem post mortem pagina decurrente videmini lacerare, qui vivens „Imperatoribus ac Regibus vel gentibus universis fidem immaculatam, pro„missasque semel amicitias firmis conditionibus conservavit et Christianae „religionis intuitu non ut scribitis loca sacrosancta destituit, sed magis „Paganorum consumpta excidio suis Christo auctore temporibus in meliori „cultu revocavit. Nam qualem praefatus Princeps, in cujus vos opprobrio „tanta dixistis, cunctis gentibus fidem servavit, innumerabilium triumpho„rum Deo volente victoriis declaratur. — Amicitias nostras, quas delecta„biliter requiritis, stabiliter rogamus habere studeatis et quo melius foe„dere inviolabili permaneant ab animis vestris nullis intercedentibus cau„sis absistant“ (vulgo, obsistant). Haec epistola vulgo Theodeberti inscribitur, cujus filio tribuenda est. Quum autem omnia externa critices auxilia prorsus deesse viderentur, mirum in modum se torserunt docti homines. Tale enim ejus argumentum esse ut nullo modo a Theodeberto scripta esse possit, primo adspectu apparet. Itaque nonnulli sic interpretari conabantur ut alteri Theodeberto assignarent. Quam ubi integram sicuti omissis paucis verbis quae nihil ad rem facerent, supra dedimus, perlegeris, comparata rerum et temporum conditione alii cuiquam, Theodebaldo vel tutoribus ejus exceptis, attribui posse negabis. Insuper etiam ap. Bouq. in notula adjecta Theodeberti loco Theodebaldi nomen exstat, sive sola Meibomii, quem allegat auctorem, conjectura sive lectione certa nisum.

Imperator autem qui, ne tali modo res tandem ad apertum bellum procederent, valde caveret, ratione temporum habita, ubi consuetam auctoritatem aliquamdiu demitti necesse erat, Leontium Senatorem, nobilissimum et versatissimum in rebus publicis tractandis hominem, qui periculum imminens averteret, in aulam regis Theodebaldi misit. Cum reliquis enim Francorum regibus jamdudum ullius societatis vel foederis vestigia prorsus evanuerant. Minime enim, domesticis rebus intenti, externas curabant. — Leontius igitur sine dubio magna pecuniae vi adjutus callide res gessit. Leniter questus est primum de infidelitate Francorum iterum atque iterum Imperatori benevolentissimo pro innumeris donis et muneribus praestita. Deinde, tandem jure speraturum Imperatorem promissa diu auxilia ventura, adjecit. Nimirum tunc quoque terras, quas injuste occupassent, Imperatori restituere non dubitaturos fore, adjecta praeda et rapina quam ex Italia domum reportassent. Cui responsum est satis molle et ut decebat regem annis minorem et tutores regis, cui aliquando fortasse Imperator subsidio esse posset contra avidos et ambitiosos propinquos, reliquos Francorum reges. Sed re vera iterum tergiversari et fallere conabantur.

Se nihil Imperatori rapuisse. Venirent Romani et circumspicerent; nihil eos reperturos. Quaestionem autem de locis, quas injuria occupasse et tenere dicerentur, electorum ex utraque parte arbitrorum judicio relinquendam esse. Demum ut confestim legati, inter quos Leuthardi nomen memoriae traditum est, qui prorsus tollerent hanc litem, Constantinopolim mitterentur, concesserunt. Qui in urbem et ad Imperatorem venientes, consueto more omnia quae e jure Imperator postulasset, praestitum iri ubi primum fieri posset, polliciti sunt.

Sic iterum pax et amicitia inter Francos et Romanos resti-

tuta erat[1]). Mox tamen Narsetis Patricii, qui tunc copiis Romanorum in Italia praeerat, expeditionem per agrum Veneticum impediverunt Franci, qui per has partes praesidia plurima tenebant, quae ut pactum erat, Imperatori restituere adhuc omiserant.

Stupenti et quaerenti, cur hoc, spernentes ea quae nuperrime pacta essent, auderent, responderunt, in exercitu Romano Langobardorum copias inesse, quos antiquitus inimicissimos et maxime invisos sibi ducerent Franci[2]).

Paullo post eos non minus fallaces quam prius Romanis esse expertus est Narses. Constituerant enim interim Gothi, Totila rege Narsetis virtute et arte demum superato et caeso, Teiam, virum praestantissimum, sibi regem. Qui collectis ultimis Go-

1) Cf. Procop. IV. 24. p. 584 — 590. ubi prolixe de Leontii Senatoris legatione, Francorum responso agitur. Facta est haec L. legatio vel DL° vel DLI° anno, quum epistola illa, de qua supra disputavimus, Theodebaldi scripta videatur anno DXLIX.

2) Quare autem Franci tam implacabile Langobardorum odium professi sint incertum. Sine dubio enim quanquam tunc loco aliarum rerum apud Narsetem ut causa gravissima solum praetendebatur, exstabat tale quid et notum erat etiam inter alias gentes. Sed quando et cur natum sit prorsus ignotum nobis. Erat fortasse tenebris mythorum circumseptum, temporibus homini historico hactenus plane inaccessis genitum, per multa hominum genera tacita quaedam traditione propagatum. Nonnulla hujus rei vestigia alibi quoque apparent. Sic Langobardi, ubi primum Italiam intraverant, indelebili Francorum odio instigati, statim Francorum terras adorti sunt, ubi infanda crudelitate saevierunt. Tale quid etiam Stephano IV. Papae observatum fuisse videtur ante oculos. (Cf. Stephani P. epist. in Codice Carolino ad Carolum et Carolomannum fratres, Pipini regis filios directas, quibus a conjugio Langobardico, quod invisum erat ei, deterrere eos studuit.) Fortasse etiam ad Saxonum et Francorum ab antiquissimis temporibus vigentem inimicitiam hoc referri potest, quum Langobardi ubique intima familiaritatis et amicitiae societate cum gente Saxonum conjuncti essent.

thorum viribus, quum diu imminentem regni et populi ruinam differri nisi extrinsecus auxilium validissimum veniret, non posse intellexisset, Francorum regem, Theodebaldum, Vitigis et Totilae exemplis non territus, precibus et pollicitationibus adiit. Sed nihil aliud consequutus est Teias, nisi quod Francorum copiae Valeriani ducis ad obsidendam Veronam properantis agmini restiterunt [1].

Teia autem jam DLIII. anno paucis post electionem interjectis mensibus in celeberrima illa pugna ad montem Vesuvium commissa victo et occiso, bellum Italicum fracto Gothorum robore finitum esse opinati sunt Romanorum duces. Relicti erant sane nonnulli Gothorum, qui intra arces et loca munitissima clausi, diu sed frustra resistere adhuc ausi sunt. Quin etiam legatos ad Theodebaldum regem auxilii porrigendi causa miserunt Gothorum reliquiae in Italia superiori [2]. A quo tamen, quum clades eorum Francis non ignota esset, nullo modo adjuti sunt. Sed quamvis tunc exstinctis Gothis deditos et amicos Imperatori se gerere viderentur illi, clam summo cum studio Italiam, ubi Gothi non minus quam Romani mutuis cladibus ad ultimam perniciem perducti essent, specie tamen amicitiae et societatis servata, Imperatori eripere ardebant. Sic hoc ipso anno, quo Gothorum rex ultimus ceciderat, infinitus Alamannorum et aliarum Germaniae gentium numerus, ducibus Butilino et Leuthari fratribus, Alpibus superatis, quarum claustra jamdudum Francorum praesidiis occupata erant, torrentis more per Italiam superiorem effusus est [3].

1) Cf. Proc. l. IV. 34. p. 635.

2) Cf. Agath. I. 5. p. 23. ed. Nieb. — οὐ μὴν ἅπαν γε τὸ ἔθνος μόνοι δὲ οἱ ἐκτὸς Πάδου ἱδρυμένοι. Agath. cur ad ipsum Theodeb. miserint, relaturus dicit alios reges, Theodebaldi parentes, ὡς ποῤῥωτάτω Ἰταλίας ἀποικισμένους.

3) Cf. de hac Alamann. expedit. Agathiam I. 6. p. 26. I. 22. p. 62.

Quae expeditio, quanquam vix Theodebaldo exprobrari posse visa est, quum duces illi copiis tam e comitatu quam e gente sua et vicinis sua sponte congregatis praeessent, concedente et annuente rege incepta erat, qui Theodeberti patris exemplum sequuturus, si res processissent, ipse Italiam intraturus erat. Incredibili terrore capti sunt Romani, qui per has regiones collocati erant. Alamannorum autem exercitus pulso primum Fulcari, Herulorum duce, qui ripam Padi fluvii castris stativis tuebatur, usque ad Samnium nullo resistente libere vagabantur. Narses enim in aperto campo viribus Romanorum recentissimis et atrocissimis praeliis valde afflictis, cum iis decertare non ausus, intra urbes munitiores copias suas tenebat [1]).

Medias Italiae regiones populatus divisis agminibus Leutharis anni hujus autumnali tempore reversus est. Sed antequam patriae fines contigisset morbo correptus ad lacum Benacum e vita decessit. Butilinus autem per hiemem Italiae inferioris extremam partem, Lucaniam et Bruttiam, ubi praedandi et rapiendi larga facultas data erat, pervagatus, verno tempore semptentrionem versus agmen duxit. Sed prope ad Vulturnum amnem a Narsete, qui per hiberna militum animos et vires felicissimo labore suscitaverat et erexerat, oppressus fugatusque est, ubi ipse cum majori exercitus parte peremtus est [2]).

II. 1. p. 63. II. 10. p. 88 etc. etc. Gregor. Turon. III. c. 32. unde Aimoin. hausisse videtur De gestis Francor. ap. Bouq. III. p. 59. ubi multa aucta et corrupta. De ducib. Agath. I. 6. 26. Λεύϑαρις καὶ Βουτίλινος ἦσαν ἀδελφοὶ καὶ τοῦ σφετέρου ἔϑνους ἡγεῖσϑαι Θεοδεβέρτου πάρελαβον.

1) Barbari ignaviae non prudentiae Narsetis hoc tribuentes, summa elati erant superbia et tremida abundabant spe totius Italiae occupandae et tenendae teste Agathia I. 6. p. 30. ἐπηρμένοι δὲ ἦσαν ἐλπίσιν. Ναρσῆν γὰρ οὐδὲ τὴν προςβολὴν ὑποστήσεσϑαι ᾤοντο, ἅπασαν δὲ τὴν Ιταλίαν οἰκεῖον αὐτοῖς ἔσεσϑαι καὶ πρὸς τὴν Σικελίαν. (quae per viginti sex annos intacta, avaritiam eorum vehementer provocabat).

2) Cf. Agath. II. 10. p. 85. ἐξ ᾿Αλαμάννων καὶ Φράγγων (Agath. Fran-

Sic praeter spem et opinionem Francorum Narses ex hac periculosissima belli tempestate iterum salvus iterum victor evaserat. Eodem quoque anno Theodebaldi regis impuberis morte multo magis etiam quam prius reliquorum regum, Childeberti et Chlotharii oculi et animi ab externis ad domesticas curas versi sunt. Itaque Narses miseras Gothorum reliquias e latebris Italiae superioris, quo Francorum praesidiis propinqui confugerant, expellere et prorsus delere tempus et occasionem faustam esse ratus, castris motis primum Francorum copiis, quae praedam exercentes praesidiis relictis libere per has terras vagari solebant, occurrit. Quanquam primo impetu fortuna Romanis valde adversa erat, mox tamen resumtis viribus Francorum manus, quae sine justo duce et more praedonum dispersae erant, pulcherrima victoria superavit, atque de terra Italica expulit. Nusquam autem obsidione vel oppugnatione munitarum urbium, quas paullo ante Francorum praesidiis occupatas scimus, impeditum fuisse Narsetem legimus. Itaque conjiciendum, Francos accepta Theodebaldi morte sua sponte loca munita relinquentes jam in eo fuisse ut domum reverterentur, quo in itinere a Narsete circumventos et oppressos esse. Neque tamen semel et ad unum omnes ejicere potuit, sed nonnulli Francorum duces, in-

cos hoc loco appellat Francorum ditioni subditas regni Austrasii nationes) ἐς πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑαλώκασιν χιλιάδων, ingens sane et prope incredibilis numerus. Idem Agathias hanc „Francorum" cladem cum sola Persarum quam contra Graecos passi sunt, comparandam esse censet. Cui anno haec Alamannicae expeditionis finis deputanda sit disputatur. At Muratorius Annali d'Italia ad. ann. 554 accuratissima et doctissima commentatione et argumentis certissimis nisus ipsum hunc annum ei vindicavit. — Sic aestate anni 53 Alamannor. copiae primum Italiam attigerunt, autumno 53 Leutharis mortuus est, vere anni 54 Butilinus caesus. De Butilini nominis orthographia afferre sufficiat, saepius Bucilinum vel Bucelinum, etiam geminata litera *l* scriptum apud varios auctores reperiri. Vera Agathiae fidissimi harum rerum auctoris lectio est Βουτίλινος. Etymologia tamen nobis saltem plane obscura esse videtur.

ter quos Hamingi nomen memoriae traditum est, Widino, ultimo Gothorum propugnatori conjuncti per Venetias et circa Athesim flumen viribus Romanorum, quibus ipse Narses praeerat, pertinaciter resistere conati sunt, sed frustra. Tandem enim praelio commisso postquam Narses rem sine sanguine compositurus saepius Hamingum lenibus verbis conciliare frustra tentaverat, Widinus captus Constantinopolim deductus est, Hamingus fortiter dimicans occubuit. Tali modo pax inter Francos et Romanos re vera restituta erat, quum foederum species identidem, etiam per haec ultima belli Gothici tempora, renovata et firmata fuisset. Hamingum enim Narses, meminisset foederum recens pactorum inter utrumque populum, adhortatus est antequam armis eum adoriretur.

Cujus foederis nomen per reliquos Justiniani Imperat. annos inviolatum permansit tam vivo Chlothario ipso quam regnantibus quatuor ejus filiis [1]).

1) De Francorum clade a Narsete illata vide Chronic. Marii Aventic. (ap. Du Chesne Scriptor. T. I. p. 214.) „Eo anno (P. Cons. Basilii XV. h. e. 555) exercitus Francorum Reipublicae Romanae exercitum vastavit „atque effugatum devastavit cum illis et divitiis multis abductis. Eo anno „exercitus Reipublicae resumptis viribus partem Italiae quam Theudebertus „Rex adquisiverat, occupavit.“

De Hamingo cf. Menand. Excerpt. legat. p. 124. 26. Ὁ δὲ Ἄμιγγος ὁ Φράγγος ἐστρατοπεδεύσατο ἀντικρὺ τοῦ ποταμοῦ Ατίσου ᾗ προςδόκιμοι ἦσαν οἱ Ῥωμαῖοι διαβήσεσθαι. Ὁ δὲ Ναρσῆς τοῦτο ἐγνωκὼς Παμφρόνιον καὶ Βῶνον — ἔπεμπεν ἄμφω ὡς Ἄμ. ἐδήλωσέ τε αὐτῷ ἐκποδὼν γενέσθαι καὶ μηδαμῶς πόλεμον αὖθις κινῆσαι κατὰ Ῥωμαίων. Ἐκεχειρία γὰρ εἰςεγένετο μεταξὺ τοῦ χρόνου Φράγγοις τε καὶ Ῥωμαίοις. Ὁ δὲ Ἄμ. ἀπεκρίνατο ὡς οὐκ ἐνδώσοι ποτε ἐστ᾽ ἂν τὸ ἀκόντιον οἷά τε ἔσται κραδαίνειν ἡ χεὶρ etc. Porro Paul. Diacon. II. 2. De Widino et Amingo. De chronologica quaestione vide Muratorii Annali d'Italia ad ann. 555. Annus ipse quo occidit Hamingus valde dubius, quanquam inter solos 56, 57, 58 optio data est. Consulas licet etiam Valesium Rer. Franc. T. I, 464. 65. ubi multa disputata reperies et append. ad T. III. hujus operis annexam. —


THESES.

I. Hunos, Avaros, Ungaros unum eundemque populum esse.

II. Ante ann. p. Chr. n. 500 intra fines hodiernae Germaniae nusquam Sclavorum vestigia ulla exstare.

III. Tempus perfectum latinum corruptionis cujusdam quam tota lingua latina perpessa sit, optimum praebere specimen.

IV. Neminem jure inter philologos numerari posse nisi qui bene gnarus sit linguae Sanscriticae.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 106542464